



Misc. T 52 Fol.

M. I, 650 f:

Misc. cat. 2, 185.





GLORIAM  
RECTORIS ORDINIS  
ELEPHANTINI

DOMINO  
DN. JOHANNES  
FRIDERICO

MARCHIONE BRANDENBURGENSI  
MAGDENBURGENSI, BOHEMIE, SILESIE  
RUM. ARCHIEPISCOPO ELECTORALI, NEC NON  
SACRO ROMANO IMPERII ARCHICAMERARIO  
SACRO PALATINO

PATRI PATRE  
FIO. P. DE. DE. DE.

FRIBURG. DE. DE.  
IN GYMNASIO ENOLDINORUM  
1855 NOVEMBER 15

DE. DE. DE. DE.  
DE. DE. DE. DE.

DE. DE. DE. DE.  
DE. DE. DE. DE.









B. M. II. 185.

GLORIAM  
REGII ORDINIS  
ELEPHANTINI

IN

*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*

DN. JOHANNES  
FRIDERICO

MARCHIONE BRANDENBURGENSI,  
MAGDENBURGENSI, BORUSSIÆ, STETINO-  
RUM, CASSUBIORUM ET VANDALORUM, NEC NON  
SILESIAE, GROSSENSIUM AC JÆGERNDORFFENSIUM DUCE,  
BURGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPE  
HALBERSTADENSI, MINDENSI ET  
CAMINENSI,

PATRIÆ PATRE  
PIO, FELICE, BENIGNO.

*PUBLICA ORATIONE*

IN GYMNASIO ONOLDINORUM

IPSIS NOMINALIBUS FERIIS

DIVO JOHANNI SACRIS,

*VIII. KAL. JUL. M. DC. LXXXIV.*

VENERABATUR

JACOBUS WILHELMUS FÖRSTER.

---

ANNO CHRISTI M DC LXXXIV.



SEPTIMO GORAM  
REGH ORDINIS  
ELEPHANTINI

IN  
SERENISSIMO PRINCIPATU DOMINO  
DN JOHANNI  
FRIDERICO

MARCHIONE BRUNSBURGENSE  
LACONIBORUM  
RUM, CASSEBONUM  
SILSIE, GROSSISSIMUM  
BURGGRAVIO NORIMBERGENSE  
HALBERTADENSE ET  
D



24

196

PATRIS PATRIE  
PIO FELICE BENIGNO  
IN GYMNASIO ONOLDIENORUM  
DIVO JOHANNI SACRIS  
VNI KAR JUL M DC LXXXIX  
VNERABAT

ANNO CHRISTI M DC LXXXIX



Non  
N  
Len  
a  
Erig  
P






SERENISSIME PRINCEPS

AC DOMINE,

DOMINE CLEMENTISSIME,

lc ego, mane diem cum clarum emissus Eoo  
Titan portavit cardine, fatus eram:  
I mea Musa bonis fatis, & solve Timorem  
Corde! quid ancipitis moesta tremoris  
habes?

Non Diomedis erunt, non atria sæva Procoftæ,  
Non Tibi Phalaridos dura adeunda domus.  
Lenis ad Augusti sanctas admitteris ædes,  
ac mansueta vides PRINCIPIS ora tui.  
Erige te his dictis, & desine tuta timere,  
PRINCIPE non nostro mitior ullus erit.

Et



Et cum nunc audax ad sacra Palatia tendis,  
(Non ignota loquar) limina læva pete.

Ac si forte tibi fuerit data copia fandi,

Talia submissa voce genuque refer:

MAXUME JOHANNES, BRENNO DE  
STEMMATE NATE,

Mitem projectæ porrige, quæso, manum.

Romuleus Vates, Vatum clarissimus, olim

Obtulit Augusto carmina prima DEO,

Primus eratque labor Cæsar Sulmonis Alumno

Qui nova dulcisona corpora voce canit.

Unice Mecœnas, rerum spes una mearum,

Tu quoque carminibus Magnus Apollo meis.

Suscipe primitias TIBI sacratamque Camœnam,

Atque Tuo seruo Numine dexter ades!

Te Deus innumeros salvum conservet in annos,

Det regimen felix, det populumque probum.

BRENNORUMQUE DOMUM semper su-  
per æthera ponant

Prospera fors, virtus, gloria, splendor, honor.

Hæc precor ex animo. PATRIÆ PATER  
OPTUME VIVE!

Et TUA me, PRINCEPS, Gratia firma beet

SERENITATI TUÆ

*devotissimum servum*

Jacobum Wilhelmum Försterum,





**B**Rachia qui cāncri nunc concava, Phœbe, quadrigis  
Æthereis peragras, flagranti sidere sulcos  
Siccans, & Cereris fœcundæ culmina flavo  
Vestis, quæ segetis maturæ signa, colore,  
Sparge jubar nitidum, meliori sidere sparge  
Lumen, & auratis lustra nunc omnia bigis!  
Annua venerunt JOHANNIS tempora, charo  
Tempora quæ PATRIÆ PATRIS sunt nomine sacra.  
Nulla dies adeò fatis jucunda benignis  
Esse potest, hoc cum bene quam componere possem.  
O Pater omnipotens, quamvis persolvere grates  
Non opis est nostræ dignas, Tibi carmine parvo  
Attamen esse juvat gratum, Te thuris honore &  
Supplicibus votis semper venerabimur omnes  
Munere pro tanto. Sed vos sublimia, Musæ,  
Quæ juga Parnassi colitis collesque sacratos,  
Divus ubi celso residens in vertice Phœbus  
Jura dat, atq; inter vestras labentia fallit  
Tempora delicias, velatæ vestibus omnes  
Perfufis auro, mulcentes æera cantu,  
Pulsantes teneris manibus cytharasq; canoras;  
Si vacat, Aoniis deducite carmina plectris,  
Utq; jubet Pietas, mecum bona dicite verba.  
Salve MAGNE PATER PATRIÆ! quem Juppiter altus  
PRINCIPIS Augusti magno decoravit honore,  
Justitiâq; dedit multorum pectora sanctâ  
Et regere acceptâ superis pietate Virorum.  
Metas neve TUÆ laudi neq; tempora pono,

A;

Impe-



Imperium sine fine precor, sine fine secundam  
Omnibus in rebus fortunam & candida fata  
VIVE bonis avibus, longissima secula VIVE,  
Atq; Tuum nomen latè diffunde per orbem;  
Utq; viret semper laurus, nec fronde caduca  
Carpitur, æternum vigeat sic gloria BRENNÛM!  
Hæ, PRINCEPS AUGUSTE, preces, hæc vota per urbes  
Atq; per ora Virûm festiva hac luce feruntur.

Et ceu Sol rapidos superingerit altior æstus;  
Maxima sic nostras inflammant gaudia mentes.  
Gaudia certatim læta junguntur ubiq;  
Voce, Sonat veluti volucrum concentibus æther,  
Ictaq; dulcisonis viridantia rura resultant  
Vocibus, ac hilari celebrant nova gaudia plausu.  
Qualis in Eurotæ fœcundo littore lauris  
Per juga vel montis viridis natalia Cynthi  
Exercet Diana choros, stipante caterva  
Nympharum, vario demulcens pectora lusu;  
Sic pariterq; TIBI thalamo DEA nupta jugali,  
SAXONIÆ GENTIS claro de sanguine nata,  
Gaudia multiplicat, Matrum comitante corona,  
Quas verò socias forma supereminet omnes.  
Lætanturq; TUA clari de stirpe Nepotes.  
Ipsa domus, tantis rebus par, splendida luxu  
Instruitur, famuliq; parant convivium, festis  
Accumbunt proceres epulis & vina coronant;  
Fit strepitus tectis vocemq; per ampla volutant  
Atria, JO VIVAT JOHANNES! VIVAT! & hujus  
Temporis exortus felix ter mille revertat!

Ac ut ubi rapidus, nimbis hyemalibus auctus  
Torrens, montano stridens de vertice, volvit  
Undas, & segetes latè perfundit & agros:  
Maxima sic cunctas pertendunt gaudia mentes.  
Cum summis imi, proceres cum civibus, omnis

Turba



Turba senum, juvenumq; chori sua júbila promunt.  
Quin & pastores ovium, pecorumq; Magistri  
Carmina sylvestri meditantur arundine, magnus  
It clamor cœlo, jucundæ ad sidera voces  
Jactantur, saliunt teneri sub matribus agni.  
Dat Phlœmela sonum vicinis abdita ramis,  
Et lepidos dulci modulatur gutture cantus,  
Læta repercussis gaudet quoque rupibus Echo.

Ipse Pater Mœnus, Francorum fluctibus oras  
Fœcundans, glebâ quâ pingues ubere montes  
Pampineis Bacchus fertis & vite coronat,  
Hos inter plausus & publica júbila scissô  
Occulto madidum subito caput extulit antro,  
Et circumcingens molli sua tempora musco  
Prolixasq; comas, populis affinibus, ecce!  
Improvisus ait; mea jam quoq; flumina tangunt  
Gaudia, quæ fundunt resonanti murmure Frater  
Rhetnesus ac Altmula soror: per flumina vidi  
Et liquidas undas rem miram. Sistito gressum,  
Accola France, vago nec te sermone morabor.  
Vix potuit rutilus surgentis præco dici,  
Phosphorus antevolans, tenebrosas pellere nubes;  
Sidere portabat Felicis gaudia festi,  
Lætitia montes hilari celsæque fremebant  
Petrae, cum divus Musis comitatus Apollo  
Ducebat cantus lætasq; per arva choreas,  
Quæque gerit Pharetram suspensam, Diva, micantem  
Ex humeris, dederat ventis diffundere crines.  
Hinc atque hinc glomerantur Oreades; acriter apri  
Spumantes celerem cursum clamore premebant.  
Talia dumq; mihi nimium miranda videntur,  
Quam diversa mea surgit sententia mente!  
Vidi ego complures de montibus undiq; Nymphas  
Convenisse Diis similes centumq; puellas,

Longa



Longa quibus tergo coma dependebat, ut olim  
Virginibus Tyriis, quæ per nemora alta Dianæ  
Exagitare feras patrio de more solebant.  
Esse quid eximium sensi, primoque putavi  
Intuitu celebres thalamos, aut Cadmica jungi  
Ingens quæ superûm coluit connubia cœtus.  
Ast ubi cognovi festivæ tempora lucis  
Lætitiæ causam tantæ nomenque JOHANNIS,  
Ite statim, dixi, nitidi mea flumina Moeni,  
Gaudia festivæ latè diffundite lucis.  
Fallor? an ista dies Magni sacra Principis exset  
Nomine, quem faustis hodiè lætisque reportat  
Auspiciis Phœbus linguæque animiq; triumphant.  
Inprimis coluisse Deum nunc supplice fas est  
Mente, sed & PRINCEPS lætis applausibus ipse  
Excipiendus erit nobis, & Francica tellus  
Gaudia solenni festi celebrabit ovatu,  
Et mihi si liceat magnis componere parva,  
Navita quod navi mediis in fluctibus, atque  
Cynthius æthereo nobis quod præstat Olympo,  
PRINCIPIS idque salus patriæ prosperrima præstat.  
Quam quoniam incolumem, tutam propriamq; videmus,  
Lætisono cantu festam consumite lucem,  
Donec permensus cœlum Sol occidit atque  
Montibus è celsis majores fuscitat umbras.  
Ipse meis undis diffundam gaudia latè,  
Quique bibunt Moenum, referam simul atque dici  
Indicam festum, quod mecum Rethnesus amnis  
Et socii fluvii celebrant vinosaque Francis.  
Sic ait, & vitreis rursus caput abdidit undis.

Tot varios inter plausus & tanta virorum  
Gaudia, solennis queis publica jubila festi  
Patria concelebrat supplex, mirarier amplas  
Aulai pompas alios, aliosque stupere

Magni-



Magnificos tueor ritus. pars plurima verò  
 In divos vultus ac optima PRINCIPIS ora,  
 Qui sospes nobis hodiè isthæc otia fecit,  
 Lumina defigit, faciem formamq; verendam  
 Atq; Diis similem venerans, ac hæret in uno  
 PRINCIPLE, pars oculus tacitè per singula volvit,  
 Aspicit effigiem gemmis auroq; superbam  
 Pars elephantinam, quam crux adamante notata  
 Quintuplici decorat, qui multo fulgurat igne.  
 Cærulea nam divum circumdat fascia pectus,  
 Pendet & ex illa Regis mirabile donum.  
 Pars stupet & stellam renitentem parte sinistra  
 Arte laboratam Phrygia, miratur & ostro  
 Sanguineo tinctam nitidi textuque rigentem  
 Argenti, in cuius medio supereminet alba  
 Crux splendore suo, claraque in luce refulget.  
 Qualiter ætherea Phoebeo prævius astro  
 Lucifer axe suos fulgentes explicat ignes,  
 Sic pariter nitidæ radiant de pectore gemmæ.  
 Talia cernentes non nudo lumina tantum  
 Intuitu pascunt cives, majora revolvunt  
 Mente, nec immemores tacito sub pectore versant  
 Multa. Subit patrias PATRIS præconia nostri  
 Excessisse domos, longè famamque per orbem  
 Aligeram totum laudes vexisse, sui que  
 PRINCIPIS AUGUSTI nomen super æthera notum.  
 Ac ubi quis flammam in trunco forte reliquit,  
 Tollitur obscurus tunc saltem ad sidera fumus:  
 Mox iterum sævis subito surgentibus Austris  
 Omnia pervolitant ignes, it turbine vasto  
 Flammaram stridor, latè & prorumpit in auras.  
 Non aliter cives, postquam regalia dona  
 Conspectere, silent, arrectisque auribus adstant.  
 Mox ubi virtutis subiit miratio mentes

B

Ipsorum,



Ipforum, sequitur sermo clamorq̄ue virorum  
Multus, & in tales exsolvunt pectora voces.  
Scilicet invicti hæc Regis sunt signa favoris.  
Indubitata simul magnæ & præconia laudis,  
Mirantur populi, quos & divisa refuso  
Submovet Oceano tellus, & subdita cælo  
Concludit gelido, miratur Cimbria famam  
Herois, cujus paret Franconia jussis.

Ipse ego fulgenti confusus imagine primum,  
(Nam divos vultus radios flammantis & ignes  
Gemmarum nitidos mentes oculique recusant  
Cernere vulgares, lædit Sol lumina clarus)  
Obstupui, tandem vox hæc è pectore rupit;  
Phœbe vale: non hinc priscorum somnia vatum,  
Non lassata aliis revocabo numina Musis.  
Non divam Venerem, tenerosque Cupidinis ignes  
Non Helenæ raptum, vetiti nec fœdera lecti,  
Aurea Thessalici Juvenis non vellera fingam,  
Nunc mea nunc alias sed poscunt carmina laudes,  
Heroëm gemmasq̄; canam. Sint læta JOHANNIS  
Nomina Sancta meis numeris hoc tempore festo.  
Quemque gerit summus divum ad præcordia Princeps  
Ornatum, Regis Danorum nobile munus,  
Ordior, & magnæ virtutis præmia dicam,  
Cujus & extremæ gentis suffragia testes.  
Non ignara quidem mens majestatis, honores  
Quæ sacros poscit. similisque potentia Divum est,  
PRINCEPS MAGNE, Tuæ Tantis his au sibus obstat,  
Obstat, & exiguæ memorem me territa venæ  
Reddit, & hæc mecum merito timidissima fatur;  
Hic canat aut Flacci Venusini, aut Musa Maronis  
Divini, aut docti Nasonis amabile carmen;  
Dulces Pegasei dederant queis Numina fontis  
Fundere grandiloquo linguarum flumine versus.

Sibila



Sibila quid magni verò tua ludat avena?  
 Pone leves calamos ausus neque suscipe tantos.  
 Ast ego, vera quidem dicis, mea Musa, regessi.  
 Serpis humi, & numeris tantum levioribus apta  
 Magna modis parvis tenuas: sed solve timorem  
 PRINCIPE vel totus nil mitius orbis habebit.  
 Utque suo casulas lustrat, floresque jacentes  
 Lumine vivificat Phœbus, lux publica mundi:  
 Gratia sic humiles animabit PRINCIPIS ausus.  
 Erige te, cœptis audacibus annuet ILLE.  
 Ergo Decus mundi, Magni genorosa PARENTIS  
 ALBERTI Soboles, lux ô nitidissima gentis!  
 Excipe clementi, PRINCEPS celsissime, vultu  
 Carmina, nec nostros juveniles despice nisus!  
 Vos etiam nostris doctissima pectora cœptis  
 Quod precor enixè, parvisque favete Camœnis.  
 Si mihi BRENNORUM generosæ gloria stirpis  
 Et genus, & clari generis præstantia prisca,  
 Atque Domus tantæ stirpis ac divina propago  
 Enumeranda foret jam prima ab origine rerum,  
 Ante diem clauso componet vesper Olympo,  
 Ante suos solito formosior æquore Titan  
 Aligeros educet equos coelumque corusco  
 Phosphorus ante suo nitidus rubefecerit ortu.  
 Ipse nec expediam dictis, quæ gloria semper.  
 Illustres maneat BRENNI de stirpe Nepotes,  
 Qui bello clari Herôes, quibus incluta coelo  
 Auspiciis animos æquet Domus illa, virorum  
 Felix prole sua: Qualis Berecynthia mater  
 Invehitur curru Phrygias turrata per urbes,  
 Læta Deum partu centum complexa nepotes  
 Omnes coelicolas, omnes supera alta tenentes.  
 Seu titulos quæras, seu majestate paratas  
 Palmas ac lauros numeres, dignosque triumphos,



Nulli BRENNORUM virtus & gloria nulli  
 Cedit, magnificis sed laudibus anteit omnes.  
 Vos estis Regum magnorum sanguine creti,  
 Perque immensa diu tantum tot secula retro  
 NOMEN BRENNORUM viguit, viguitque propago;  
 Cynthius astrorum nivea cum conjugē quantum  
 Rex micat æthereæ parva inter sidera olympo.  
 Et nemo vobis est bello major & armis,  
 Seu ferus arcetur quassatis mœnibus hostis,  
 Cominus aut campo miscentur prælia, semper  
 Victores BRENNI præda spoliisque potiti  
 Adstant, suntque suis castris assueta trophæa,  
 Ceu procul è sylvis torvum fugit agna leonem  
 Currentemque studet mortis vitare periculum;  
 Ille fremens pavidam sequitur, cupideque rapaci  
 Tergora diripiens costis & viscera nudat  
 Dente, super prædam accumbens lavat ora cruore:  
 Sic quoque densatos alacris defervit in hostes  
 BRENNORUM virtus penetrans per tela, per ignes,  
 Ac expugnato stat victrix aggere semper.  
 Circumfusa jacent, atroque fluentia tabo  
 Corpora mille, virumque cruor diffunditur arvis.  
 Pectore magnanimo clara nec origine stirpis  
 M̄jores (similes paucos) non ulla tulerunt  
 Secula, nulla ferent Vobis, O lumina mundi,  
 Nulla dies unquam memori vos eximet ævo,  
 Dum Germana domus Capitoli immobile Saxum  
 Accolet, imperiumque Pater Romanus habebit.

Nec mihi, conanti vestrum celebrare perenne  
 Augustumque decus, (nam non fert altera terra  
 Principibus similes Germano sanguine natis,  
 Quos regalis honos ornat, decoratque potestas)  
 Fas est, cœruleum limbum nec imagine Barri  
 Aurati insignem pompam conferre Tiaræ

Bran-



Brandenburgiacæ. Nomenque domusque superbit  
Hæc multum majore gradu, cæloque propinquat.  
Ac ut non Elephas, vellus non Hectora fulvum,  
Stella nec Æmonium, Trojæ hic populator, Achillem,  
Insignes virtute viros & Marte potentes,  
Sed sanguis patrius, virtus & propria utrumque  
Evexit, laudes tollens ad sidera cœli:

PRINCEPS Magne, tuæ sic stabit gloria laudis,  
Quæ Regum se diva Domus tua laudibus æquat,  
Sicque TIBI lauros virtus dabit ampla perennes,  
Seraque posteritas cuncta & degente minores  
Teque Tuosque canent, per singula secula mundi  
Magnus honos, nomenque Tuum laudesque manebunt.  
Sed tamen & semper virtus per præmia lucet;  
Ut micat è collo gemmæ Garamantidos ignis,  
Si manus artificum flavo circundedit auro, &  
Quale decus reddunt ebori aurea cingula, vel si  
Inclusum buxo, aut oryctia terebintho,  
Sunt quæ pectus habet, turriti insignia Barri,  
PRINCEPS, æterni sunt hæc monumenta favoris  
Quo Te Danus amat, sunt & præconia laudum,  
Quas populi Hesperii simul & mirantur Eoi.

Dum premit imperio magnus Rex Æolus, atque  
Indomitos ventos vinculis & carcere frœnat;  
Illi luctantes dant horrida murmura circum  
Claustra cavi montis, furiosi limina quærunt;  
Jamque ubi concessu superum data copia flandi.  
En! subito venti magno velut agmine facto,  
Qua via facta, ruunt terræ & maris omnia perflant;  
Sic TUA laus, multos TIBI quæ jam parta per annos,  
Finibus imperii primum contenta vigeat  
Inclyta, sed tacitis etiam crescentibus annis  
Crevit, & illa TIBI tandem se posse negavit  
Finibus includi patriis, majora requirens.



Hinc nunc immensum volitans pennata per orbem  
Nuncia fama ruit, cunctisque allabatur oris,  
Ac tua commendat terris splendore secundo  
Nomina virtutesque tuas, & censeat amore  
Natio cuncta suo Te dignum, maxime PRINCEPS.  
Terra jacet gelido septem subjecta Trioni.  
Dania Romanis dicta est, clarissima bellis.  
Hujus & extremæ gentis pervenit ad aures  
Gloria JOHANNIS FRIDERICI Cimbrica Tellus  
Nomine mota Tuo voluit conjungere Tecum  
Foedus amicitiae, certum dans pignus amoris,  
Et simulacra tibi transmittens aurea Barri.  
Accipe, nec sacros hos averfator honores,  
Laudibus & fama felix sic ibis ad astra,  
Dis genite & geniture Deos. Laudabile fiet  
Et per Te munus majori Numine dignum.

Sed vos, Ausonides Musæ, & tu diva Poësis,  
Dulcia quæ vatum quondam benè pleetra regebas,  
Ne numeros culpate meos parvumque juventæ  
Ingenium; nobis quod si sub pondere vires.  
Defecere, tamen magno excusabimur ausu,  
Vos precor, ô nostro nunc aspirate labori,  
Primaque longævi quæ sint cunabula ritus  
Hujus, & insignes nunc mecum evolvite Reges,  
Et meministis enim cuncta, & numerare potestis!

Ultima Barrigeri si perquiratur origo  
Ordinis & rerum repetatur origine ab ipsa.  
Non fuit à paucis hic demum cognitus annis,  
Proxima non illum viderunt secula, grande  
Prisca dedere illi jam dudum tempora nomen,  
Et, si non tenebris involvit vera vetustas,  
Numine divino demissus creditur olim,  
Et primum attonitis Cimbris sub imagine ficta  
Nubibus in celsis cœli conspectus ab ora.

Scilicet



Scilicet antiquis magna est veneratio rebus,  
Et quibus æthereis dedit incunabula summus  
Juppiter, in terris magno splendore coruscant,  
Cultorisque sui decus immortale sepulchro  
Exemptum laudis tandem super æthera ponunt.

Tanta vetustatis seu sit præstantia, sive  
Omnia transcendant longè & mortalia vincant,  
Ignea queis patria est domus omnipotentis olympi.  
Quod decus eximium non dat Tibi cana vetustas?  
Quæ Tibi non laudes, qui non debentur honores?  
Et queis non titulis celebrabere, Barriger ordo?  
Aurea lanigeræ pecudis nec vellera, Jason  
Quæ tulit Æsonius Reginae Colchidis arte,  
Et Philippus habet pretium non vile laborum,  
Gallica, nec divum quæ profert flamen amoris  
(Pace tua dicam Flamen cœleste) columba;  
Fascia cœruleo nec quæ Bombyce notata  
Regum, qui præsunt divisis orbe Britannis;  
Tempore Te vincunt, vincuntque prioribus annis,  
Sed monumenta Tibi hæc postponit justa vetustas.  
Testis erit Primi reditus, qui sceptrâ potentum  
Danorum tenuit, Christiani. Vota resolvens  
Rex (veluti pietas simplex persuaserat illis  
Temporibus) Romæ sacris Patrique Latino,  
Postea dum patrias rursus tendebat ad oras,  
Et gremio excepit venientem Mantua felix,  
Ac antiqua, Ducem Ludovicum, vincla Maritæ  
Quem sibi cognatum junxere Hymeneja, jam tum  
Hospes Barrigero donavit munere. Quales  
Post imitabantur Burgundi vellera ritus.

Musa mihi causas memora, quo Numine moti  
Danorum Reges memores hos condere ritus?  
Pulsa fuit terris, quæ quondam regna colebat,  
Aurea pax, bellis permiscuit omnia miles.

Qualis



Qualis ubi celso coelo nox incubat atra,  
Murmurat in sylvis Auster, magnosq; minatur  
Imbres, deciduas defudat & æthere guttas.  
Sulphureis subito crebris micat ignibus ær  
Obscuroque simul toto sonat æthere nimbus.  
Secula nunc Phoebus nitidis undena quadrigis  
Portârat natæ post tempora prima salutis,  
Cum fera commovit fervente cupidine Mavors  
Pectora Turcarum Saracenaq; monstra cruentus,  
Impia Gens terræ bellisq; animisq; verenda,  
Informis vultu, quorum hispida barba comæque  
Labra tegunt dentæ, nudo propendula mento,  
Ut si quis nulli videat barbata marini  
Ora, aut setigerum deformia labra catorum,  
Gorgoneique micant oculi, frons torva minatur  
Mortem, sethiferæ pendent post terga sagittæ,  
Tempora versicolor contextus calva galerus  
Contegit è limbo, curvo latus ense revinctum  
Est validum, talos vestis dependet ad imos.  
Atque solent croceo furas vincire cothurno  
Primus ibi ante omnes magna comitante caterva,  
Turca ruit, validis Maurorum viribus auctus,  
Atque Saraceno stipatus milite, dira  
Bella movens furiis tædisque ardentibus actus  
Undique Christicolas ferro delevit & igne.

Terra jacet Syriis etiam complexa sub oris  
Dives agri, dives pecoris, quam lædere nunquam  
Igniferis Phoebus radius nec Mœnalis ursa  
Audebunt, fausto subjecta est sidere tellus.  
Sancta Palæstinæ Majores regna vocarunt.  
Hanc copiis terram Mahometica Turba petivit  
Omnibus, & captam potiori parte nefanda  
Cæde cruentavit. Rabidus tunc esse Tyrannus  
Pectore crudeli & pravo sic ore loquutus

Fertur:



Fertur: Threicii proceres fidiq̄ue Ministri,  
Progenies divi Mahometis sanguine creta,  
Regna Palæstinæ tandem victricibus armis  
Sub Mahometeum violento Marte capistrum  
Traximus, & dudum victis dominamur in oris.  
Nunc placet ulterius flammis extendere Regnum,  
Christigenumque domos Romanaque regna potenti  
Milite & extremas armis evertere sedes.  
Vosq̄ Saraceni, stabili qui fœdere nobis  
Estis eonjuncti, rursus conjungite dextras.  
Viribus adversus conjunctis ibimus hostes,  
Ibimus & ferro & flammis delebimus omnes.  
Fortibus en! vacuæ sunt defensoribus urbes,  
Rara virum est acies, magnas si frangere bello  
Has terras licuit, quid lamentabile regnum  
Christiadum poterit vel tot contra arma virorum?  
Per caput hoc juro & labentia sidera Lunæ,  
Non prius ad celsæ rediturum mœnia sedis,  
Plurima quam nostro superavi milite regna.  
Dixerat, ac clamant eadem juvenesque senesque  
Assensu magno, sylvis ceu flamina prima  
Cum detenta sonant, nemorum increbescere murmur  
Incipit, undivagis ventos prodentia nautis.  
Talia jactantem dictis & dira minantem,  
Non tulit insignis Dux Lotharingius armis,  
Cui Gothofredus erat nomen, fortissimus Heros.  
Ille jubet magnas passim conscribere turmas,  
Viribus & validis commune arcere periculum,  
Ne ruat in mœstas damni securior ætas  
Clades, & tristes maneat nos exitus olim.  
Nec mora, continuo cogit sub signa cohortes  
Gothofredus plures, vel quas Germania tota,  
Quas Athesis velox, quas inclyta Gallia, quasve  
Rhenus habet latus, quas misit Dania fortis.

C

Agmen



Agmen erat peditum, quantum non ante Mycenis  
Educto Phrygio pugnabat litore Achilles.

Sed mihi nec numerus constat, nec nomine cunctos  
Enumerare datum, quantis tunc arserat armis,  
Danorum imprimis pubes, quo milite campos  
Complerit contra maculosæ cornua lunæ.  
Ac omnis campis exercitus ivit apertis.  
Terra erat, eximiis quam complent mœnibus urbes,  
Et cingunt fossæ multis stagnantibus undis,  
Opportuna loco, quæ tunc Romania dicta est.  
Hanc Duce Gottfredo Danus cum milite Gallo  
Teutonicoque fuit firmata evertere opum vi,  
Et Mars armipotens animum viresque potenti  
Addebat populo, stimulos sub pectore vertens  
Sternere cæde viros & mœnia cingere flammis.

Hæcque Dacis semper belli sententia mansit.  
Imperio duro Saracenus magna Sidonis  
Mœnia lunatis armis devicta tenebat  
Quam ferro voluit Balduinus vincere primus,  
Et Danos socios sibi junxit, mille carinis.  
Qui campum æquoreum & spumas ære secantes  
Mittebant animos in aperta pericula forteis.  
Cumque videt tantos Dux ausus, talia fatur;  
Tempora si nobis, quod votis omnibus opto,  
Annueret Numen sine bello armisque quieta,  
Intrepidæ dextræ! vestro parfisse labori  
Possem, nec patriis accitos sedibus omnes  
Auxilio nostro, vos intra hæc castra morarer.  
Omnia sed Turcæ sævo cum milite complent,  
Et fraterna fero perfundunt sanguine regna.  
Res dura & regni ratio nos classica cogunt  
Occinere, & latè fines custode tueri,  
Cernitis, ut tumeant violento pectora Turcis  
Fastu, quæ mentes habeat fiducia rerum.

Quia



Quin intra portas atque intra moenia miscent  
 Prælia, sunt fuso rubicundo sanguine fossæ,  
 Pars hominum, duris quorum post terga lacerti  
 Adstricti vinclis, rapitur servire, sagittis  
 Maxima pars fixa est, & campi eæde redundant.  
 Quare agite, ò animæ! rebus succurrite lapsis.  
 Dilecti fratres, per vos & fortia facta,  
 Per Regis Dani nomen devictaque bella,  
 Spemque meam, patriæ quæ nunc subit æmula laudis,  
 Vos rogo. Mox Turcæ cernetis cædis acervos  
 Ingentes, lætos tandem & post bella triumphos.  
 Sic ait; Atque Viris mens omnibus una sequendi  
 Perstat, bellatorque animis Deus incidit. Armis  
 Hostilem subito cingunt hostilibus urbem,  
 Jamque in conspectu Dux ut habet alta Sidonis  
 Moenia, sic validas affatur in arma cohortes.  
 Magnanimi firmis conceptas mentibus iras  
 In Turcas toties nunc mecum effundite captos!  
 Gloria sic etenim laudis Patriæ alta reposcit.  
 Nec mora terribilem tollunt ad sidera vocem,  
 Tela manu jaciunt, nervis aptantque sagittas.  
 Certant obsessi contra defendere saxis,  
 Perque cavas densi tela intorquere fenestras,  
 Qualis ab occasu madidis surgentibus Hædis  
 Verberat Imber humum, quam mixti grandine nimbi  
 In vada devolvunt, cum sævis Juppiter austris  
 Præcipitans hyemem cœli cava nubila rumpit.  
 Sed contra ingentem successus mentibus addit  
 Fortibus ardorem, cunctos jam justa Cupido  
 Armorum & rabies felicitis Martis agebat.  
 Ceu fremitu impastus mansueta ad ovilia sævo  
 Ore lupus, cœli ventos perpeffus & imbres,  
 Conclamant teneri multis balatibus agni,  
 Ast illum ex longo rabies collecta fatigat,



Invadit caulas, pecudes manditque trahitque:  
Haud aliter juvenum muros & castra tuentum  
Ignescunt animi, vox addita suscitatur iras.  
Evolat hasta manu cito, quæ densissima, tendunt,  
Tela vident, hosti ferrum, sub pectore condunt.  
Jam superant vallum, curvatæ & cornua lunæ  
Dejiciunt, Dani victa dominantur in urbe,  
Et cum Teutonicis magno lætantur ovatu,

Aspera vix positis paulisper secula bellis  
Mitescunt, iterum subito nova & aspera bella  
Surgunt, Maurorum sed fregit Danus Ericus  
Vires, atque suo Lisabonam reddidit armis  
Invictis Domino. Victrix Lusitanica Sylvam  
Liberat è rabie Afrorum virtute Canuti.  
Non potuere Viri telis, non ense corusco  
Corytique leves urbis defendere muros,  
Danus in aërio tandem stetit aggere victor.

Tantæ molis erat venerandum condere ritum  
Barrigerum. Dani belli nam volvere casus  
Tot prius audebant, tandem meminisse juvabat,  
Ac Barros Lybicos signum sumpsisse triumphi.

Lucidus Oceanum Phœbus, madidumque cubile  
Liquerat, & claro spargebat lumine terras,  
Forte quiescebam gelida securus in umbra,  
Lambit ubi tacito lymphis Pater arva susurro  
Rethnesus, & tenui meditabar arundine carmen,  
Quod caneret tot bella Dacum, quod parta trophæa  
Hæc Elephantini describeret ordinis. Ecce  
Incluta, Pieriis comitata sororibus, ultrò  
Obvia Calliope vultu mihi venit amoeno,  
Omnibus ex humeris citharæ, decor omnibus idem,  
Aurea flaventes cingebat vitta capillos.  
Mox ubi sub patulæ recubabant tegmine fagi,  
Conticuere omnes, stridoremque unda repressit.

Ad



Ad me Calliope dictis ita fatur amicis.  
 Heus, inquit, juvenis, tibi non conspectus Apollo est.  
 Succinctus pharetra candentibus aëra cygnis  
 Dissipat, Eurynomes faciem in genetricis & oras  
 Versus, Leucothoæ Deus irretitus amore,  
 Sic ait, at contra paucis sum vocibus orsus:  
 Est mihi jam longo non tempore visus Apollo.  
 Verum quo meritas tibi dicam carmine grates?  
 Opportuna venis, dudum te vota vocabant,  
 Calliope, Regum memoras quæ facta priorum  
 Incluta, cui series ævi, cui cana vetustas  
 Fidaque perpetuæ custodia credita famæ!  
 Parvo Barrigerum celebri dum carmine ritum,  
 Te precor in cœpto nostro succurre labori,  
 Pristina dum volvo fuerit quæ occasio rebus,  
 Inveni. Autorem certum mihi scripta recusant;  
 Ordinis insignis quis primus creditur Autor?  
 Quemve Deum hoc titulo veterum monumenta salutant?  
 Tum Dea velatum gemmis auroque volumen  
 Mnemosynæ donum, quod fulsit Jaspide glauca,  
 Explicuit, repetens altæ monumenta senectæ,  
 Talia lambentes rivi cantabat ad undas.

Antiquâ, fateor, sunt hæc caligine tecta,  
 Atque jubes magnum tibi nunc narrare laborem.  
 Sed quia tantus amor primum cognoscere rerum  
 Autorem, incipiam & tibi dicam vera roganti,  
 Quæ mea Mnemosyne signavit Mater, adesto!

Plurima si retro numeramus secula mundi,  
 Tu, Canute, meis generosi nate Parentis,  
 Cymbrica sub cujus viguit moderamine tellus,  
 Primus eris numeris, primam tua nomina ponam,  
 Hic primum teneris nemorum Studiosus ab annis  
 Venatu invigilat juvenis, pavidosque fatigat  
 Cervos; felici post cœperat oppida Marte.

C 3

Nam



Nam Ptolomaidem, quam Gens Saracena premebat  
Duris imperiis multaque Tyrannide nobis  
Te reparasse, Pater legimus victricibus armis.  
Cernimus ardentemque per aspera tela ruentem,  
Corpora cum ferro sævo tot mille virorum  
Stravisti, ut caperet vix moesta cadavera tellus.  
Claraque Barrigeri Per Te simulacra videmus  
Ordinis augustos gerere ad præcordia Reges.  
Secula transferant undena simulque bis octo  
Lustra, tot ac anni, jam post natalia Christi,  
Livonis populis bello ferroque subactis,  
Cum Waldemari fratris, Rex Magne Dacorum,  
Spe regni aurato decorasti pectora Barro.

Paucula Castalidum genitrix hæc Diva Dearum,  
Mnemosyne, cui longa dies & nomina curæ,  
Conscripsit, quanquam dubia est sententia rerum.  
Talia si vobis grave non audire canentem,  
Quin etiam mecum ritûs diversa notare  
Quæ fuerit, Regum jussu, mutatio, divæ  
Germanæ, fagi superimpudentis in umbra  
Et tacitas liquidi propter percurrere rivi  
Undas! Ficta dabo antiquis non nomina rebus,  
Libera non nobis concessa licentia Vatum,  
Historicæ fidei cogor servare tenorem.

Si varios veteris Belgæ bellicæ labores  
Nostis, & hi quoties vastabant milite terras  
Barbaricas, nostis, quæ ferrent signa, quibusve  
Irent induti galeis, pars horrida terga  
Portabant ursæ maculis, Pars Tigridis atris  
Armarat corpus, rutilis pars cornua cristis,  
Qualia semicaper Faunus sylvester habebit,  
Per medias duplici sævo vexilla leone  
Turmas pandenti rabiosis picta volabant  
Dentibus ora, velut scissæ telluris hiatus.

Sicq;



Sicque, foret Getico quo formidabilis hosti  
Danus, in æternæ signum implacabilis iræ  
Horrida rostrigeri ac armati dentibus uncis  
Effigiem Barri ad sua Martia signa recepit.  
Postea, quæ primum bellorum signa fuerunt  
Victorumque decus Danorum, fræna regente  
Imperii primo Christiano, Papa Latinus  
Ordinis inde sibi sacra sumpsit ansam.  
Spinea turritis Barris appensa corona  
Hamatique vepres & duro spicula ferro.  
Aurea turrato pendebat bellua dorso,  
Auratis crucibus quatuor subnexa, sed infra  
Et simulacra DEI sacra fuere Parentis.  
Virginis effigies flavo velataque in auro,  
Undique flammiferis Solis circumdata tædis,  
Oscula quæ prolis JESU lususque fovebat,  
Et pedibus Lunæ calcabat cornua Victrix.

Mox nova successit rursus conversio rebus,  
Spicula dempta; placet quadruplex imponere calcar.  
Turritas moles & propugnacula dorso  
Bis duo portabant Barri velut oppida nigro,  
Quo quadruplex numero gens est signata quaterno,  
Danica progenies & Longobardica pubes,  
Miles Normanni, & sævi gens Martia Gothi

Ut Regni admotus solio sceptrisque Dacorum  
Auspicio Divum Fridericus rite secundus,  
Unica cui fuerat metuendi cura Tonantis,  
Virgineos vultus dempsit, Lunamque bicornem.  
Unica turrato jam pendet bellua dorso,  
Aurea belligerum subnectunt cingula corpus,  
Et medio Regis cælatum nomen in auro  
Cernitur hæcque pedum palmas scriptura notabat,  
Omnis in auxilio stabit spes nostra Jehovahæ.

Cum tulit & Regis Christianus Quartus honores,

Nomine



Nomine regali micuit gemmata corona  
In latere, atque feræ flavi compagibus alvi.  
Ast ubi felici Danis Colmaria Marte  
Capta fuit, rursus nomen regale remotum  
Ex Regis jussu: tunc versicolore quaterno  
Igne adamantiaco turritis dextra refulsit  
Barri, qualis erit sævos abeuntis in hostes  
Militis armati, ac auro squamata corusco,  
Hanc super impavidæ mentis documenta fuerunt  
Verba legenda, volunt, pavidæ corpuscula muscæ  
Parvula quid contra squamati tergora Barri, &  
Firmius imperium, pietas quod sancta tuetur.

Non diuturna fuit Sacri hæc renovatio ritus  
Filius ut patrium Fridericus tertius heros  
Optimus accepit sceptrum, terrasque regendas,  
Quinque loco dextræ claros adamantidos ignes  
Addidit, ad sanctæ speciem crucis arte locatos  
Torsit ut quoties oculos ad corpora Barri,  
Tunc & inoblita Messæ mente teneret  
Vulnera, apud memorem meriti & steter gratia facti.  
Fulgida, Rex etiam per Te superaddita stella,  
Cui Tua sunt, DOMINUS bene providet, indita verba.  
Insimul & circum mira vallabat amœnum  
Arte laboratum sertum, geminæque nitebant  
Cærulei in plani regales parte coronæ.

Brandenburgiaco sed qui nunc pectore fulget  
Fronte lapillatus, dorso & turritus habetur.  
Organa, queis cernit, splendent gemmata lapillis,  
Cruce pariter renitens, mutansque subinde colores.  
Ad latus ignitos adamantum quinque refulget.  
Insuper ex tunicæ respundet parte sinistra  
Candida, coccinei cujus pars plana coloris,  
Stella, & in hac Phrygiis manibus crux picta videtur.  
Hæcque sub auspiciis divi sic aucta geruntur

CHRIST-



CHRISTIANI SEXTI, qui Danica sceptrā gubernat  
Rex præstans animo clarusque potentibus armis,  
Quem Bellona timet, Vulcani frater adorat,  
Cui ponti domitor paret Saturnia proles.  
Hic promptus duros belli perferre labores,  
Cui libet & validis insurgere viribus hosti,  
Et sibi mansuram factis extendere famam.

Quippe nimis felix dicendus Barriger ordo,  
Contigit illustres cui tot numerare Parentes.  
Quin etiam cœcæ si non caliginis umbræ  
Et longæva dies rebus dant ficta vetustis  
Nomina, Te quondam posuit DEUS æthere celso,  
Dum primum Barrus pontum terrasque jacentes  
Littoraque & Danos populos à vertice cœli  
Vidit post tenues iterum liquefactus in auras.  
Sive Poëtarum fabellis ficta feruntur  
Talia, sive fides rebus non vana vetustis,  
Verò, crede Deum fatis, cantabimus ore  
Nunc TIBI vera crucis cœlo primordia missæ.

Fecerat ingentes jam Sol altissimus æstus,  
Inque pari spatio jam stabant vesper & ortus,  
Orta fuit rutilo cœlo cum clara repente  
Tempestat, mediumque vident discedere cœlum,  
Palantesque polo stellas; en! nubibus exit  
Candida crux, radiis quæ circumcincta serenis  
Iceta repercussu rutilum pingebat Olympum.  
Qualis in auratum niveis in nubibus arcum  
Explicat Oceani proles, longèque refulget,  
Aut ubi sulphuræ jaculantur ab æthere flammæ.

Scilicet Imperii finirat morte labores  
Canutus, Regni suscepit frater habenas  
Marte potens, victis scripsit mandata. Poruffis,  
Bellica subque hujus Pomerania tota Dacorum  
Invicti Regis solio devicta sedebat.

D

Hic



Hic & in adversos victricia signa movebat  
Livonos ; verū Gens hæc tum Numinis expers  
Gentilesque sequens cultus caligine cœca  
Numina fictilium votis celebrare Deorum  
Sueta fuit, campis cum starent ense corusco  
Corpora mille virūm, forti sic pectore fatur:  
Ne trepidate Viri, palmam sperate parati,  
Sic ait, & validis intorquens tela lacertis,  
Principium fecit Ductor, mox aspera spargit  
Pugna, volat jaculum, duris dolor ossibus ardet,  
Hac fugiunt Dani, sequitur Livonica pubes,  
Hostibus hac instat Danus cristatus in armis,  
Antra resultabant latè montesque fremebant  
Vincentum plausu, pariter sonituque cadentum;  
Hic jacet, Hic vincit; Quales sub nubibus atris  
Strimoniae dant signa grues, fugiuntque per auras  
Cum sonitu Notos ac pennis æthera tranant.  
Anceps Pugna diu, dubius Mars sævit in armis.  
Horrida per latos committi prælia campos  
Cernimus, hasta micat, gladii sævique rotantur.  
Vidit Livono postquam dare terga sequaci  
Waldmarus Danum, duplices ad sidera palmas  
Sustulit, & Numen supplex per vota precatur:  
O DEUS Omnipotens lapsō succurre labori!  
Nonne vides acies Livonas stare superbas?  
Agmina nonne vides inter tot millia parva?  
Non mea regna feris nunc flagro extendere bellis;  
Laus divina mihi curæ est; Tibi militat omnis  
Dextrâ, tuisque aris; dulcem profundere vitam  
Et fortem vera pro religione cruorem  
Promptus ero, cœli nobis Tu desuper axe,  
O succurre precor, mox vertet terga Dacorum  
Pubes Livonis rapiens victoribus arma.

Audiit omnipotens hominum rerumque Monarcha

Omnia



Omnia læta dedit, patefactis vela fenestris  
 Æthereis subito cœlo dejecit ab alto,  
 Quæ velut artificum manibus contexta secabat  
 Candida sanguineo limbo crux partibus æquis,  
 Sustulit ille citis manibus, tunc pectore læto  
 Waldmarus tali fugientes voce sequutus:  
 State Viri, quæ causa fugæ? quò tenditis omnes?  
 Quo fugitis fratres? En quæ demisit ab alto  
 Numen, signa meis precibus certissima palmæ  
 Victricis, per vos, per non violabile Numen,  
 Bellaque majorum, demissaque vela rogamus.  
 Fidite ne pedibus, ferro rumpenda per hostes  
 Est via, quæ globus ille virum densissimus urget.  
 Numina nulla premunt nos sancti inimica Parentis,  
 Cernite dona poli, mortali urgemur ab hoste.  
 His animi arrecti dictis fugientia vertunt  
 Terga; velut magna venantum septa corona  
 Bellua tela furit contra, ac haud nescia mortis  
 Corpora in oppositas immittit fessa bipennes;  
 Haud aliter densos miles prorumpit in hostes  
 Danicus, & varias post cædes, postq; labores  
 Lætus jô! magnum cantavit voce triumphum,  
 Ergò reus voti Rex Waldemarus & ausûs  
 Compos dum meritas meditatur pectore grates  
 Æterno Patri, ac animum laudare Virorum,  
 Alba novi fecit sacri crux ordinis ortum,  
 Rebus ut eximiis decus immortale maneret.  
 Si licet exemplis majorum grandibus uti,  
 Certè fatidicis crescet mea pagina rebus,  
 Sæpeque sperati fuerat crux sancta Triumphî  
 Signum, in quo vicere manus milesque piorum.  
 Sic, ubi ferrato stipatus milite Magnus  
 Constantinus erat Cæsar, Romæque propinquat  
 Aspera Romano committens prælia, miles



Omnia cum ferro tumidi prope flumina Tibris  
Sterneret, ac multis madidum daret unda sepulchrum.  
Candida de cœlo crux fulsit, voxq; sonabat:  
Cæsar, in hoc signo vinces. Victoria cessit.  
Nempe suis semper successibus omnia gaudent,  
Quæ cœlum Numenque probant. Et numinis ipsæ  
Ignaræ Gentes coluerunt condita quondam  
Signa suis superis falsos monitusque Deorum.  
Sic toties Irim misit Saturnia Juno  
De cœlo. Phrygio toties sic littore Pallas  
Emicuitque hastam Grais ter diva tementem  
Ostenditq; plagâ sic lapsum ancile superna  
Dicitur è cœli: tenerorum mater amorum  
Sic Venus æthereos inter Dea candida nimbos  
Dona tulit nato, perfecta à Conjugis arte.

Jam fatis occiduus venit hesperus, ite sorores,  
Præcipitem Solis currum mox alta lavabunt,  
Dixerat, & divæ veterum monumenta Thalix  
Porrigit, & calatho variis de vimine texto  
Floribus impleto paribus se sustulit alis.  
Cunctæ & ad æthereum pennis portantur Olympum,  
Sis felix nostrum qui magna ex <sup>parte</sup> labore,  
Calliope (dixi) dictis divina levasti.  
Te sine sæpe meis numeris frustrata fuisset,  
Anseris indocto raucique hebetata labore  
Penna, vale! hæc dicens oculos ad sidera tollo,  
Jam Dea jam rutilum caput inter nubila condit.

Hactenus ingenui cognovimus ordinis ortum,  
Quem trahit à superum Cœlesti desuper aura  
Teste Deâ, dudumque per innumerabile tempus!  
Nunc majora vocant, alias nunc carmina laudes  
Exposcunt, meritò paucis nos illa sequamur.  
Enumeranda mihi divini commoda ritûs,  
Et quæ mille trahit sacratus Barriger ordo

Munera



Munera, quæis hominis vitam mentemque beabit.  
Non etenim flavâ sese intra continet aurâ  
Fascia, cœruleo nec eum Bombycina succo  
Tinctave fulgenti solum lapis indicus ornat  
Igne, magis vitæ sed sese extendit ad usus,  
Æternas largitur opes, & munera poscit  
Optima, regalem valdè decorantia mentem

Hæc ubi Barrigeri & Stellæ fulgentis imago  
Ordinis effigies quadam propendula mente est,  
Turgida nec fastu neve ambitione superba,  
Aurea neve famæ nec amor furiosus habendi,  
Quin neque livor edax odioso in pectore rodit;  
Hæc nullis rapitur furiarum percita tædis,  
Perfida neve dolis instructa ac arte Pelasga,  
Hæc animi pravi & vitiosi seminis expers,  
Hæc erit insidias contra centuplicis Hydræ  
Atque Medusæi squalentia guttura monstri,  
Stymphalidesve truces. Non jam Tyrinthius Heros  
Monstrorum domitor, sed erit Tritonia Pallas:  
Hoc est prudenti veniens sapientia menti  
Diligit ingenuas innuptæ Palladis artes,  
Quodque jubet rectum, quod fons aut terminus æqui  
Quod fidei candor, quod jusque æquumque, quod ardens  
Herculeusque vigor, pietasque, fidesque, Themisque.  
Affectus reprimit pravos, spargitque salubrem  
Ambrosiæ succum atque salutiferam Panacæam

Talia cum cupiat fundati Barriger Ordo,  
Cui non dicatur longè ornatissimus ordo,  
Gemmea qui portat Barri simulacra sacrati?

Quidve cruce humanæ magis est venerabile menti?  
Quidve magis Lybico Barro robustius orbi?  
Corpora non dicam tali propendula Christi  
Sacra fuisse, trucis cum lamentabile regnum  
Verteret ex imo Ditis, Satanæque potenti



Venerat excidio virtute & sanguine divò.  
Quanta fuit quondam generi veneratio prisco  
Christiadum? qui non concessi cultus honoris?  
Hæc fuit eximium capiti decus, hanq; per auras  
Vexilifer duxit, pugnanti milite septus.  
Ærea præfixis crucibus lorica micabat,  
Quæque viris lævo pendebant scuta lacerto;  
Qualis Amazonidum lunatis agmina pellis  
Penthesilea furens ducebat mente virili.

Quæ tibi præterea color ornamenta ministrat  
Candidus? ille Diis semper Sacer, ille probatæ  
Est index vitæ & scelerato à crimine puræ  
Tessera grata fuit Libertas tempore prisco  
Candidiorque fides, maculari nescia fucis  
Mentibus ac oculis hoc consignata colore.

Porrò ego, quo Lybici fortissima corpora Barri  
Carminè collaudem, non uno nomine clara?  
Quæ fuit antiquis per te concessa Latinis  
Vis? quæ turrìto vicisti mœnia dorso?  
Omne repercussum squalenti missile tergo  
Frangis, & adversos multa vi conteris hostes,  
Atq; tuo dorso, veluti superaddita faxis,  
Abiete robusto moles turrìta recumbit.  
Huc delecta virùm sortiti corpora quondam  
Claudebant veteres, vastas penitusque cavernas  
Complebant validis armato milite telis.  
Quam fuit hæc Domini fera perstudiosa salutis  
Læsa Macedonicis vidit cum corpora telis  
Esse Pori? jussis quamq; obsequiosa Magistri?

Et quid plura canam? Barrus, crux, stella, colores  
Virtutum simulacra sient, sint incluta signa,  
Quæ monuisse solent, quos poscat Barriger ordo  
Heroas, qualesve viros, quæ nomina clara?  
Ornent Barrigeros, pietas, prudentia, candor,

Vivida



Vivida vis animi, mentis constantia celsæ,  
Et regalis honor generis, sanguisque Deorum  
Ornent. Nam nostro referam si carmine, quales  
Summa Gente Viri, ac illustri sanguine ducti  
His digne possint vestiri insignibus amplis;  
Hic mihi nec celebris veterum quos ornat avorum  
Nobilitas, clara nec natos stirpe nepotes  
Ponere concessum, regalis purpura solum  
Hic valet, aut magni sacra Principis infula, sive  
Quos colimus tali prognatos stemmate sexus.  
Et quia longa dies rebusque annosa vetustas  
Hæc probat, & mecum vigilato fidere tantos  
Jam reputo titulos ac ornamenta Britanni,  
Magna minorque feræ, regitis quæ carbasa navis,  
Ad me nunc nitidos vestros convertite vultus!  
Omnia cum dudum positæ videatis in axe,  
Et maris occiduis quæ nunquam mergitis undis  
Lumina, vos justos nunc ad me verba reposco  
Testes, vos nostris, quod Solum Barriger ordo  
Hos decoret, regum qui vel de stirpe creantur,  
Vel Reges magno sibi qui conjunxit amore.  
sed quid? cur nimium quæ sunt manifesta requiro,  
Cur cadet ambiguo nostro res tanta timore?  
Jam memini; quondam Mantuanæ Marchio terræ,  
Cum patrias rursus remearet compos ad oras  
Voti Christianus, summos Elephantis honores  
Abstulit inter eos primus, quos exera regna  
Longinquæq; colunt terræ, sunt deinde secuti  
Plures, qui monumenta gerunt sublimia Barri,  
Ac istos magno titulos venerantur honore.  
Talia, cum justo sint omnia consona vero,  
Jure tuo decus hoc summum, celsissime Princeps,  
Emicat augusto de pectore, Barriger ordo  
Te merito vestit tuô, & hæc insignia laudant.

Non



Non magis in rutilo fulget lapis Indicus auro,  
Non ignes inter nemorum Latonia custos  
Stellantes, PRINCEPS, quàm Tu, FRIDERICE JOHANNES,  
Clares, atque tuæ splendescit gloria famæ,  
Maxima diffusæ propriis virtutibus, auctæ  
Laudibus & patriis, ac divo stirpis honore.  
Seu prælustre genus, clarosque in stemmate Reges  
Seu proavos, abavos, atavos, patruosque, patresque  
Seu belli laudem, quæ tot manifesta trophæis,  
Seu Pacis studium, seu quos prudentia Leges  
Juraque præscribit populis, curasque regentum  
Seu vires animi, seu multas Palladis artes,  
Seu quicquid laudem meret & præconia, spectes.  
Non alium certè decuit rectoribus orbis  
Esse larem, nullaque magis se gloria stirpe  
Quam BRENNÀ attollit; quam divi stirpe JOHANNIS.

Hic ego Nasonicas ausim de poscere voces,  
Oraque grandiloquis valdè resonantia linguis,  
Omnia quo digno possim perstringere versu.  
Non etenim è clario mea cingit tempora laurus,  
Agrestes saltem mea docta inflare cicutas  
Musa, sed experiar, quid & hic mea carmina possint.  
Non humana canam, sed maxima Numina terræ  
Pectora, quæ quondam mentes terrasque regebant.

Qualis erat Danaum Princeps bellator Achilles,  
Hæctora qui bigis te circum Pergama traxit;  
Talis erat quondam bello & victricibus armis  
ALBERTUS magni qui nomen habebat Achillis,  
Hujus & à teneris bellis asueta juvenus  
Gessit Idumæas post aspera prælia frondes.  
Hic fugiens nunquam tergo, sed pectore forti  
Sæpius adversos tendit cristatus in hostes.  
Læsa tibi quoties sævo sunt corpora ferro?  
Mille cicatrices & vulnera mille tulisti,

Invictos



Inviſtos vincens populos, gentesque feroces,  
Frigida quas mundi rigidas alit urſa per oras,  
Barbara quas tellus ac undis educat Iſther.  
Terra tuo audito tremuit clangore tubarum  
Omnis, & attoniti fugientes terga dederunt  
Hoſtes, montanum metuit ceu cerva leonem.  
Bella ſed affiduo licet irrequietus agebat;  
Non tamen oſor erat pacis gentisque togatæ,  
Sed geminos dederat tanta de ſtirpe nepotes;  
Quos decus eximium & virtus ſuper æthera ponit.

Nam qua voce tuas Cicero Germane JOHANNES,  
Laudes, queſq; tuum Neſtor JOACHIME, Camœna  
Nomen noſtra canat metris, quæ laudibus æquent  
Veſtris, ô animæ, meritis præconia? Vobis  
Docta diu tantam meruit facundia laudem  
Maſcula magnanimi quantam olim dextra Parentis.  
Dulciſonâ linguâ quoties vos verba dediftis,  
Neſtora viciftis toties Marcumque loquela.  
Suavior Hyblæo vobis eſt melle loquendi  
Copia, manabant, ceu denſis imbribus acta,  
Ora, nec & patrio tantum ſermone diſerti  
Gratam ſuxiftis matris cum lacte loquelam,  
Omnia quin variis potuiſtis dicere linguis.  
Tempora tranquillæ per vos ſunt publica pacis  
Condita, ſedatus furioſi & Martis amator.  
Hæc vos ſemideis virtus Heroibus æquat.

Nec Latii ſimilem hoc includent tempore muri,  
Qualis Tu noſtris Muſis, ALBERTE, canendus,  
Nobile purpurei nomenque decusque Senatus  
Inter Romanos Patres tu Præſul habebas,  
Te nihil excepto Magnus mage Cæſar amabat.  
Atque Gubernatrix lati Germania mundi.  
Omnis in auxilio rerum fiducia ſtabat  
ALBERTI vigilis, magnarum credita rerum

E

Cura



Cura fuitque tibi securis publica terris.  
Otia, fecisti, quod tunc viguere per orbem  
Per te pacato subito sublata tumultu  
Schismata turbatae sunt religionis, & alma  
Pax rediit, bellum, finito Marte, silebat.

Inclute caelesti Princeps virtute, GEORGI,  
Quae non fama tuos cineres, quae gloria nomen  
Immortale colit? Tu nostris primus in oris  
Et pius & Constans confessor dogmata vera,  
Quae Zelo exposuit divo Lutherus, Helias  
Tertius, excelsa defendens mente papatus  
Purgasti sordes hominum & figmenta, reducto  
Coelesti verbo, quae nos jam gratia salvat,  
Patria dum sancto persolvat vota Jehovah  
Terra, tuae semper pietatis fama manebit.

Numina plura quidem restant, sed versibus omnes  
Enumerare nec est hominis, nec temporis hujus.  
Omnis progenies BRENNORUM laude superbit  
Tanta, quantus erit numerusque ordoque nepotum,  
Qui patribus similes similes genuere minores.  
Non pavidas aquilae fortes generare columbas  
Possunt, est in equis virtus generosa parentum,  
Fortibus atque bonis fortesque bonique creantur.  
Sic quoque BRENNORUM series aeterna vigeat  
Et viget Heroibus, quorum vis pectora firmat  
Insita, & accedens cultus corroborat aequè.

His prognate Diis, PRINCEPS, Auguste, JOHANNES  
Cujus nunc urbem decorat praesentia, cujus  
Nos regit atque beat felix protectio, Musa  
Ad Te flectit iter, veniam sed poplite quaerens  
Flexo, si qua Tibi meritas mea carmina laudes  
Non dant, ingenii est & linguae culpa. Voluntas  
Omni submittit Tibi se promptissima cultu.  
Pace tua incipiam, non ut Tua gloria perpes

Carmine



Carmine tam vili crescat : sed pectoris edam  
Ut grati specimen. Nam quid clarissima nostris  
Lumina siderei clarescant ignibus aucta  
Regis ? & in pelagum quas mittet rivulus undas ?  
Sed tamen ut nostris non desit nisibus audax  
Obsequium, conor, parvi quod ferre recusant  
Nostris humeri, P R I N C E P S, Tua dum clementia firmat  
Exiguas Vires, Tua non ut gloria major  
Maxima reddatur, sed quod submissior urget  
Me Pietas animusque Tuas venerarier omni  
Nomine majores, virtutes, optime P R I N C E P S.

Quod mihi principium vero ? quo fine quiescam ?  
Illustrive canam, quo P R I N C I P I S ordine tantas  
Virtutes, quibus is tollit super æthera nomen ?  
Ingeniumne sagax longinqua & itinera dicam,  
Queis est emensus disjunctas sidere terras ?  
An felix regimen, dotes animique potentes,  
Corporis & formam divam ? me copia rerum  
Obruit exilis vatem paucæque Minervæ.  
Cumque aliis crocæ & getula de murice vestris  
Curæ, cum vecors aliis ignavia cordi  
Est, vel lætificis juvat indulgere choreis,  
P R I N C E P S, in campis nudoque sub æthere pernox,  
Noster equo celeri demissis fertur habenis,  
Et cursu assueto stridentes dissecat auras,  
Externos populos lustrans & dissita regna,  
Celtas & Batavos, Sequanos, Vascos, Cenomannos,  
Ac Italas Gentes Albæ de stemmate visit.

Hic Venus & charites dotes creduntur in uno  
Consumsisse suas, talis morumque venustas  
Ingeniique vigor, tantus lepor oris in illo  
Justitiæque tenax studium pietasque probata.

Candida, quæ roseo fuerat permista colore,  
Tyndaridæ facies multis celebrata Poëtis



Illeq̄, Lyriope peperit quem Nympha Cephyso  
Narcissus, niveas fertur vicisse pruinas  
Formâ, pulcher erat Narcissus; pulcrior autem  
Noster **JOHANNES** forma speciosior omni,  
Sed tamen ut gravitas majestatisque verendæ  
Luceat ex placido fulgor mirabilis ore.

Sæpe Sacerdotum celebratur earmine Phœbi  
Cultus, Apollineis dederant quem ritè quadrigis,  
Scilicet hi pedibus nudis attingere prunas  
Non veriti, stultas quod pavit credula mentes  
Simplicitas vanusque error, commissa piari  
Omnia placarique Deos, sic posse supremos.  
At tua major erit pietas, **PATER** optime, veri  
Æternique colis quâ numina sancta Jehovæ  
Non meritis vitæ, a fidei candore paternæ.

Gnosiacus meruit sibi quondam encomia Minos,  
Quod fuit immotus justi servator, & Iri  
Non secus ac ditis tractavit nomina Croesi,  
Quis Vatum justas cantet Tibi carmine laudes,  
**PRINCEPS?** quod tantis constet par gloria rebus.

Lætâ quod in patriis traducimus otia terris,  
Quod leges, quod jura valent, quod Francica floret  
Tellus, ingratis quod nescit nostra querelas  
Patria, quod vireat pax aurea & unio firma,  
Quod templis stet sanctus honos patriisque Lyceis,  
Hæc Tibi debentur, **PRINCEPS** mitissime. Claris  
Nam licet armorum studiis imbutus & artes  
Egregiè teneas divino pectore belli;  
Sive opus extensos metiri castra per agros,  
Seu faciem pugnæ componere, sive profundas  
Præsidio fossas positis deducere castris,  
Tu tamen optatæ tutissima Tempora pacis  
Semper amas Gentem præfers semperq̄ togatam  
Inter delicias consumens lustra Minervæ.

Maete



Maſte PATER PATRIÆ, cœli clementia fecit,  
Numinis in mundo Tibi quod debentur honores  
Terreſtris; tacito tua laus nunc creſcit in ævo.  
Regis amicitiaſ ſinceræ teſſera Barrus,  
Barrus & egregiaſ famaſ certiffimus index.  
Fama dabit vitam poſt mortis fata perennem  
Nunc tua per cunctas clareſcet gloria gentes,  
Flumina quæ cernunt Ponti, linquentia Solis  
Lumina, quæque vident undis immergere bigas.  
Queiſve dies medius flagrantibus æſtuat horis,  
Quaſque vident Hyades tauri, geminique triones.

Ergò dives opum Bacchi Franconia largi,  
Falſciferæ ac Cereris foecundis dotibus aucta,  
Et vos, qui duro fætas ſuleatis aratro,  
Rubricolæ, terras, & lætis paſtor in agris,  
Primores populi jurataque turba clientum,  
Quos regit imperio JOHANNIS dextera noſtri  
Tranquillo totas mihi nunc advertite mentes.  
Vobis ſubmiſſo venerari pectore fas eſt  
Hoc caput, atque ſuos properat quo tendere grefſus,  
Spargere jucundi flores & munera veris  
Fas pia thura, viri, dare! Fas ſuper æthera nomen  
Tollere! Laudifonas jaçtate per oppida voces,  
Et ceu famoſo populi clamore ſonabant  
Moenia Romanæ, ſuperatis hoſtibus, urbis,  
Tempora cum lauro cinxit ſua victor & aſtro  
Purpureo fulgens invectusque alta triumpho  
Multo plaudentùm ad Capitoli moenia tendit:  
Sic quoque nunc talis clamor vocesque reſultant:  
Salve MAGNE PATER PATRIÆ, tua gloria Vivat,  
Donec in occaſum rutilo volventur ab ortu  
Sidera, donec erunt dulces Aganippidos undæ.  
Ipſe ego ſolenni venerabor carmine Numen,  
Talia devoto fundens pro Principe Vota

E 3

Pectore



Pectore. Summe Pater, qui cœli sidera torques,  
Et regis humanam divino Numine fortem,  
Ad Te nunc venio, supplex tua Numina posco,  
Ah! precor, accessum precibus concede benignum,  
BRANDENBURGIACOS Clemens defende penates,  
JOHANNEM & nostrum forti Deus adfere dextra,  
Et da longævus illum superesse per annos,  
Ut tua religio, pietas, cœtusque Scholarum  
Floreat, ac cultum per postera secla propaget.  
CONJUGIS AUGUSTÆ vitam felicibus auge  
Annis incolumen, charam successibus amplis  
Orna progeniem, patriæ spem, gentis honores.  
Solis & ardenti flagrat dum sidere currus  
Nec dubias populis cœlo denunciat iras,  
Tu leni nocuos gelidis afflatibus æstus  
Et vitium cœli precor & contagia pelle,  
Pelleque bellorum suprema pericula. Tandem  
Maxima, fac, nostris propria hæc sint gaudia terris.

Fallimur? an claro jaculatur ab æthere flammæ  
Intonuitque polo Numen, tellusque remugit,  
Altaque per densas sunt facta silentia silvas,  
Ilicet! effusis jam votis annuit æther.

DIXI.













~~Im~~ 587

40

ULB Halle  
004 761 537 3



f

V 5 17

n.c.









